



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXI. Annus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

tudine, purpureo colore in flavum vergente specie pulcherrimâ) eas Josephus Brasílico sermone alloquens: ite, inquit, cognatas vestras accersite, nostrumque iter, volatu vestro obumbrate. Illæ extento collò vocem, quasi accepti imperii signum misere, indeque avolantes paulò post magno cum grege rediere; densatæque in nubem, tamdiu eandem supervolantes umbram fecere; donec, spatio leuicæ unius decursò, lenis cepit afflare aura Favonii. Tunc Pater avium dimisit comitatum. Illæ quasi imperio perfunctæ, officiosâ crocitate, & multis lætitiæ signis, avolarunt. Jb. plura vide ibidem.

§. III.

Animalium refugia ad Sanctos.

CLothariò Britannia rege venationi indulgente, aper à venatoribus actus, ad Deicolam Abbatem confugisse dicitur, & tutum in ejus sinu reperisse asylum. Nieremb. l. 2. nat. hist. c. 5. Item Boll. 18. Jan.

Cervus à venatoribus, & canibus in venatione exagitatus ad S. Humbertum Ep. confugit, & se sub pallio illius composuit, venatoribus persequi non audentibus: quia repentino terrore correpti divinitus, gressus reflexerunt. Id. 25. Martii.

S. Ægidius Abb. ad ostia Rhodani solitarius cervâ lac præbente vixit; sed à venatoribus exagitata cellam ipsius petiit, & solito mœstius immugiens ante senis pedes provoluta jacuit; ut cujus humanitatem diu experta fuerat, ejus etiam auxiliò ab imminente periculo tegeretur. Nieremb. hist. de animal. l. 9. c. 95.

S. Albertus Eremita, cum in agro quâdam die operaretur, in leporem incidit; qui non modò non profugit, sed capi se familiariter sivit: cumque cum loci occidere vellent, liberum dimisit. Post paulò insectantes fugiens venatores ad virum Dei denudè accurrat; qui ipsum mox intrâ tunicæ suæ manicam abscondit. Boll. 7. Jan.

TITULUS XXI.

A N N U S.

ÆGypti per Palmam in suis hieroglyphicis significabant Annum: quia singulis quibusque mensibus ramum profert, & sic 12. ramis annum integrum significat. Jo. Orosius fer. 2. post Dom. Pass.

Annus novus.

Idolorum cultores Jano duas facies figurarunt; unam, quæ præteritum annum videtur aspicere, aliam, quæ futurum. Faustinus Ep. in sermone.

Primum, & novum sacrificium Testamenti veteris oblatum in mense Nisan, ad quod ignis divinitus missus est. Dies fuit oclava. Dies verò 14. ejusdem mensis Nisan, dies fuit Sacrificii novi, testamenti novi, Eucharistiæ. Fuit dies novi ignis, eximii amoris. Sic Deus dilexit &c.

S. Catharina Svecica, filia S. Brigitte, vir cum more nobilium damam cum canibus venaretur, contigit S. Catharinam fortuito per viam ipsius luci transvehit: ad quam fera lassâ confugiens caput suum in sinu ejus reclinavit. Virò, & aliis advenientibus, ostendit feram sub pallio latentem; eidem petens, & impetrans, libertatem. Id. 24. Martii.

Inter Hispaniam, & Hiberniam, est locus quidam, qui ob reverentiam S. Brendani, aliorumque loci illius Sanctorum, hominibus, pecoribus, feris, refugium præstat inauditum. Cervi, apri, lepores, &c. cum canes è vestigio sequentes nullatenus fugere possent se præsentiant, ad locum illum accurrunt; ubi rivulum pertransierunt, canes cursum sistunt, nec ulterius insequuntur. Nieremb. lib. 2. de miraculosis naturis Europæ c. 12.

§. IV.

Animalia familiaria Sanctis.

AD Rhemigium Rhemensis Ep. passerem ad volare solitos, accepimus, & de manu ejus certatum cibum petere, & capere. Nieremb. de animal. l. 9. c. 95.

S. Franciscus Seraph. cum aliquando in horto inter fruteta deambulet, cicada scilicet iniquens supra evocantis manum confedit; & Deum laudare jussa, voce tremulâ suaviorem solito stridorem edidit. Id.

Erat Anchieta usitatum, quotidie dimisso catechismo, ad vires animi recreandas, in agro aliquantisper ambulare, atque è Codice horario, et si nondum sacris ordinibus initiato, solemnem diei psalmodiam percurrere. Observatum est per sæpe, admirandæ speciei aviculam, multis, pulcherrimisque coloribus distinctam, ad ipsum solitam eò tempore advolare, tripudiòque hilari, modò illis humeros, modò brachia, librumque insilire. Ex vita.

Calendis Januarii Deuteronomium Moyses populo promulgavit. Undecimâ enim mense, *primâ die mensis*, ait Scriptura Deut. 1. Cum autem primus mensis Hebræorum fuerit Nisan, undecimus erat Januarius. Hujus rei figuram implevit Salvator, hoc eodem die novam legem sanguine suo in circumcissione faciendi, & vitæ Christianæ velut exordium exhibendo. Primus anni dies sanguine dedicatur, ut olim in Nisan agni immolatione. Bayerinc. L. I.

Serenissima, piissimâque Isabella Belgarum princeps nocte postremâ cujusque anni lampadem jubeat accendi coram eburnea Crucifixi statua, (quam Philippo II. parenti ejus Pius V. dono miserat) juxta lectum collocatam; ut, cum Calendis Januarii evigilaret, primum obtutum, cogitationemque, jaceret in Christum è cruce

cruce pendente; eamque mentem deinceps, quoad liceret, totò annò conservaret. Daultreman. l. 4. cap. 2. de amore sect. 4.

Solent Simæ supra domus limen renovatas, anni redeuntis initiis, nescio quorum spirituum

imagines collocare. In earum locum successerunt insculpta singulis tabulis augustissima Jesu, & Mariæ, non nina, quæ simul ædium paternitatis suscipiant, & Neophytorum fidem protestentur. P. Nicol. Trigavius de Christiana expeditione l. 1. c. 10.

TITULUS XXII. APOSTOLI.

§. I.

Figura.

Ex Veteri.

Ubi erant duodecim fontes aquarum. Ex. 15. 27. Per duodecim fontes deserti, duodecim Apostolos intelligit S. Prosper parte. l. c. 38.

Duo lapides; Ex 28. 9. duo præcepta sunt dilectionis Dei, & proximi; quibus duodecim tribuum sculpta nomina continentur, duodecim Discipulis in hoc numero jam designantes, quos noster Sacerdos in humeris perfectâ dilectione portavit. Id. p. 2. c. 3.

Ponesq; in eo quatuor ordines lapidum. Ex. 28. 17. Tertull. l. 4. Contra Marcion. c. 13. hisce duodecim gemmis dicit, significatos duodecim Apostolos. Iisdem enim significantur Apostoli Apoc. 21. 19.

In primo Ordine primus *Sardius*, qui ignis specie translucet. Significat fervidam doctrinam, & pro ea martyrium: est enim colore sanguineo, & igneo, quo feris terrorem incutit. Hinc Apoc. 21. 20. Tribuitur *S. Bartholomæo*, qui pro Christo excoriatus totus sanguineus ideoque demonibus terribilis fuit.

Secundus *Topazius*, qui partim cæruleo, partim aureo, imò omni colore resplendet, ait S. Isidor. l. 16. c. 7. Significat animum celestem, & ad omnia infractum; Tribuitur *S. Jacobo* fratri Domini, qui cælesti charitate irradiatus, per illam Judæos, omniâque terrena, supplantavit. Tertius *Smaragdus*, qui maxime virescit, ita ut res alias, quin & aërem, virore suo inficiat. Significat Virginitatem, & tribuitur *S. Joanni*. In secundo Ordine primus *carbunculus*, Græcè *ἀσβεστός*, id est, carbo ignitus. Significat ardentem charitatem; & tribuitur *S. Jacobo* fratri Joannis, qui ardens charitate Christi primus Apostolorum pro Christo martyr occubuit. Secundus *Sapphyrus*, qui cæruleus est, id est, cælestis coloris, & aureis punctis collucet; & radiis solis percussus ardentem emittit fulgorem. Significat eos, qui mente & vitâ in cælis versantur: unde in Apoc. tribuitur S. Paulo; vel potius S. Andrea; qui amore cæli, & radiis Christi, biduo apud eum manens percussus in ejus amorem exarsit & terrena omnia calcavit. Tertius *Jaspis*, gemma firmissima, & virens, ideoque Smaragdo sublimis. Significat fortitudinem fidei, & tribuitur S. Petro. In tertio Ordine primus *Ligurius*. Verisimile est, esse *Polyanth. Sacr. Tom. I.*

hyacinthum, interprete S. Hieronymo. Significat contemptrum terrenorum, & amorem celestem. Congruit S. Simoni, qui cælestibus, & suavissimis fuit moribus. Secundus *Achates*, quem Anselmus Boëtius insignis medicus, & gemmarius Rudolphi II. Imp. dicit, venenis viperarum, & scorpionum ictibus adversari. Cor recitat, ac adversus omne genus contagii tueri. Sitim ore contentus, manûque detentus, febrientium æstus compescit. Narratur, aquilam suò nidò imponere, ut pullos contra venenatorum animalium morsus tueatur. Tribuitur Judæ Thadæo. Tertius *Amethystus*, qui purpureus est, violaceus, & roseus, sculptura facilis, leniterq; flammulas fundit. Significat humilitatem; tribuitur *S. Maribæ*, qui nomine & in oculis suis, parvus fuit.

In quarto Ordine primus Chrysolithus, qui partim aurei, partim marini est coloris. Significat penitentiam, tribuitur *S. Maribæ*. Secundus *Onyx*, ita dictus ab humani unguis specie, datur *Fabiano*. Anselm^o Boëtius l. 2. de gemis ex Appiano. Mithridates Ponti Rex ferat duo millia poculorum ex onyche in suo thesauro habuisse. Ceram non recipit, ideo ad figilla aptissima. Tertius *Beryllus*, qui instar aquæ solis fulgore percussus, rubicundus est, & decorus; affertur ex India. Tribuitur S. Thomæ. Corn. a Lap. in Ex. 28. 17.

Elige duodecim viros. Jos. c. 4. 2. Duodecim viri electi à Josue sunt duodecim Apostoli electi à Christo. Hugo Catd. hic. Sicut Judic. 7. 6. nudis usus est militibus, sinistra quidem gestantibus lucernas in urnis latentes, dextra vero tubas: ita sacros Apostolos misit nudos in universam terram, ferentes lucernam miraculorum, & prædicationum tubam. B. Theodoretus q. 15. in Judic.

Et boves duodecim subter mare. 3. Reg. 7. 44. super quos mare positum est, nisi duodecim Apostoli? quibus recens in morte Christi consecratum Baptismi Sacramentum traditum est. S. Rupertus l. 3. c. 23.

Salomon 3. Reg. 4. 7. ut aula sua esset bene ordinata, ordinavit *duodecim præfectos* ex filiis Israel, quos constituit provisioni ciborum &c.

Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Job. 19. 20. Quid per labia, nisi locutio? quid per dentes, nisi Sancti Apostoli designantur? qui in hoc Ecclesiæ corpore idcirco sunt positi; ut vitam carnalium correptione mordeant, eamq; à suâ pertinaciâ duritie confringant. Unde & eidem primo Apostolorum, quasi denti in ejus corpore posito, dicitur Act. 10. 13. *occide & manduca.* S. Greg. Mor. l. 14. c. 23.

Sagittas suas ardentibus effecit. Ps. 7. 14.

Q 2

Vo